1781. Rozański D. oratio...

ORATIO

AD ADMODUM REVERENDOS, REVERENDOS, ADMODUM, MULTUMQUE VENERANDOS PATRES ORDINIS S. P. N. FRANCISCI REGULARIS OBSERVANTIÆ IN CELEBERRIMO CONVENTU STRADOMIENSI PRO CAPITULO PROVINCIALI CONGREGATOS

HABITA

PER P. F. DOMINICUM ROZANSKI EJUSDEM ORDINIS RELIGIOSUM.

ANNÔ 1781.

DIEBUS JULII.



CRACOVIÆ

TYPIS SEMINARII EPISCOPALIS ACADEMICI DIŒCESANI

NOTA

A. R. P. MINISTRUM PROVINCIALEM

GVIDONEM KUCHARSKI

Cujus jam in ORATIONE duobus locis, nempé in Conclusione partis primæ, & in conclusione partis secundæ, honorifica quam meruerat mentio facta est, eò ipso tempore quo ORATIO isthæc sub prælo fuerat, inopinata morte præreptum esse in Conventu Calvariensi, summo omnium planctu ac dolore.

ADMODUM REVERENDO PATRI

HONORATO WOLSKI

PRÆDICATORI GENERALI, PROVINCIÆ RUSSIÆ EX DEFFINITORI AC EX CUSTODI, LITHVANÆ VERO EX COMMISSARIO, ET NUNC AD NOSTRAM PROVINCIAM MINORIS POLONIÆ COMMISSARIO VISITATORI GENERALI DEPUTATO, AC CAPITULI PRÆSIDI.

PATRI AMPLISSIMO

ADMODUM REVERENDE PATER PRÆSES CAPITULI NOSTRI DIGNISSIME.

Non est mihi animus dum Nomini TUO PATER Ornatissime hanc dedico Orationem, illorum insistere vestigiis, qui abrepti, nescio quo impetu, in cœlum pœne laudibus extollere eos satagunt, sub quorum sese conferunt patrocinium. Tantò minus ego hujusmodi hominum probo consvetudinem, quantò difficilius est eam carere assentationis & adulationis suspicione. Nihil ego ad TE dilaudandum hoc loci adferam, ne contrahendæ similis notæ periculum sit mihi incurrendum. Præterea quid ego unus sperem TIBI laudis addere, cum TE omnes uno ore celebrent, ac prædicent? longe porro præstantior ea laus est, quæ communi omnium acclamatione datur, quam quæ

ab uno quopiam privato homine proficiscitur. Adeò quidem, ut hæc illi cædere, primumque locum relinquere debeat. Ad postremum vel hanc ob causam à TUIS laudibus hic abstineo, quod in ipso sermone quæ cunque passim aliquanto majora sublimiora atque excellentiora dicta videntur esse, ad TE præprimis referantur Tuamque nobis axprimant Imaginem. Insuper pro virium mearum tenuitate proprium illis plane TIBI posui encomium, ex quo quid de TE sentiamus perspicies. Sed quid inquiet quispiam, est, quod TUO potissimum nomini hunc laborem meum devoveam? Illud nimirum, quod TE fautorem ac æstimatorem optimum laboris in literas locati esse intelligam, ut proinde illum TIBI dicare idem sit, ac in omnibus Disciplinis tam Divinis quam humanis TE agnoscere versatissimum, earumque promovendarum Patronum singularem. Accipe jam libenti animo hoc animi mei in TE indicium, & cogita, me cum TIBI hunc laborem offero nihil aliud quærere, nisi ut magnum TUUM præferens Nomen ex se exiguus aliquod pondus ac prætium habeat, id quod eventurum minime dubito.

ADMODUM REVERENDÆ PATERNITATIS VESTRÆ

humilimus Servus

A. G.

ORATIO

Quod tandem Orationis argumentum, apud Vos Patres Religioſiſſimi, atquè ampliſſimi in hoc celeberrimo Veſtrum conventu verba facturus, elegerim, ſi forte expectet quiſpiam, conſideret velim ſecum ipſe atque perpendat, quorum gratia iſthæc dicendi provincia ſit mihi demandata; & hinc facilè, quid me ſentire, quæ ad tractandum aſſumere, palamque exponere ac elucidare conveniat, vel ipſa cogitatione tacita aſſequetur. Dicendum nempe michi eſt cum de his, qui ſupremis functi magiſtratibus, bono Religioſi noſtri Ordinis profuêre, tum de illis, quos iisdem curis onerare, & Cuſtodes communis ſalutis conſtituere, in animum induxiſtis.

Quæ res cùm tanti monenti ſit atque ponderis, ut in ea non unius alicujus privati hominis laudem, ſed Veſtrum omnium exiſtimationem, & Ordinis univerſi gloriam repoſitam eſſe, & fore deinceps certò conſtat, graviter ſolidè nec non ornate pertractari debet. Tantum porro abeſt, ùt pro præſentis materiæ amplitudine Oratoris perſonam cum dignitate a me ſuſtineri poſſe confidam, ut potius nihil ambigendum exiſtimem, quin vires meæ tanto oneri ſuccumbant. Nihilominus cum me & Tua humanitas atque benignitas Pater Digniſſime, qui

maximò noſtrò bonò, huic cum Authoritate ſumma præes Capitulo, & Veſtra ceteri Patres in partem tanti operis vocati, atque adſciti singularis benevolentia ſapientiaque animent & confirment, aggrediar, quód aggredi neceſse eſt. Equidem ornatiſsimus hic & ampliſsimus Veſter conſeſsus, illaque Vestra rectegeſtorum fama timorem mihi incutiunt, ne dum laudes Veſtras exornare tentavero, rudi ac impolito dicendi genere, quidpiam de illis detrahere videar. Magna enim magnificè, ſublimia ſplendidè, prædicari volunt. Proinde is Orator tantæ rei tractandæ ſuffecerit, qui & à perſpicaciſsimo acerrimoq; ingenio, & à castitate elegantiaque Romanæ dictionis optimè commendatus, ad explicanda quæ velit, sit aptiſsimus. Verum æquitas illa in rebus æſtimandis, quam virtus mihi Veſtra dubio procul pollicetur ùt bono sim animo, facit, ac ſemel mare ingreſsus, quæ me cunq; exceptura est tempestas vela faciam.

Enim verò antequam ſolvam, monitos eſse Vos velim Patres Religioſiſsimi, ne me præ-concepta isthac lætitia temeritate quadam abductum, velle putetis immenſum hunc Oceanum longe lateque pervagari, ùt inde non nisi difficillimè evadere, ac enatare poſsit Oratio. Longe mihi alia mens est præſertim cum ad Eos loquar, Quibus optimè eſt perſpectum quot labores impigre ſuſceperint, quot moleſtias, ac difficultates inpublicis muneribus obeundis ſuperârint, quot quantasque res præclare geſserint sive ad tuendam, sive ad amplificandam totius Provinciæ Nostræ gloriam. Eo enim ipſo non me de ubere dicendi copia, non de profunda eloqventia anxium ac ſolicitum eſse volent, utpote qui magis rectè agere quàm laudari cupiant, rerumque contenti fructu, externa ornamenta minime ambiant. Quare Veſtræ modeſtiæ ſermonem meum attemperabo, nevè tædio Vos afficiam, omni ope adnitar, nisi fortè sic exigente neceſsitate propiùs aliquos intueri, auresque Eorum laudem ſuam detractantium offendere contingat Cæterum rem breviſsime proponam conaborque oſtendere: *Vos quorum humeris ſummi Magiſtratus innitebantur, & Provin-*

ciæ Nostræ felicitati providisse & commodi Reipublicæ communis, in qua censemur, rationem habuisse, ac proinde & in posterum tam huic, quàm illi electionem perutilem ac pergratam, hoc in Augustissimo Capituli loco, facere posse & debere. Quæso jam, summopereque à Vobis contendo Patres ornatissimi, Vestro ùt favore meam tenuitatem sublevetis, exiguique temporis attentionem ne renuatis, quo Oratio scopum suum faciliùs consequi possit.

Ut variæ sunt in hoc terrarum Orbe Societates, variæ Respublicæ, varij Cætus, ita quoque varij sunt singulis beandis modi proprij atq; idonei. Hæ Civitates bellis, illæ pace, istæ divitiarum ac opum luxu, aliæ paupertatæ ac severa disciplina crescunt ac florent. Videas preterea in quibusdam literas, atque doctrinas, in nonnulis virtutem Civiumque probitatem pro publicæ felicitatis fundamento haberi. Quid ergo, cogitatis, inde inferam? illud nimirum, quod Ordines quoq; Religiosi quicunque tandem illi sint, suum sibi aptum regimen, suos Moderatores suas constituendi se se in statu beato atque fælici rationes habent, quamvis ut minores quædam Civitates, ad Communem illam cujus continentur finibus, pertineant, ac referantur. Jn his & Ordo Noster, cum non postremum teneat locum, videamus, quos habeat moderatores, & in quo felicitalem suam sitam esse voluit.

Omnibus quidem Regnis atque Jmperijs probitas atque doctrina, tanquam firmissimæ quædam substructiones beatitatem præstant, sed maxime Societatibus Religiosis. Jstæ præter Religionis custodiam, cultusque Divini augendi curam, cui se tota vita addixerunt, morum sanctitatem, scientiamque littera, rum, tanquam hæreditatem suam possidere debent. Jta, quod puto, aliæ, idem Nostra Congregatio pro modo procurandæ ac perpetuandæ suæ fælicitatis, dudum sibibi proposuit. Quocirca Vos Patres Amplissimi, qui Provinciam Nostram, quoquomodo rexistis, & juvistis, à Virtute & doctrina cum ipsi maximè instructi sitis, eas in perpetuum firmare, gravissimum munus vestrum esse existimastis.

Neque profecto immeritò. Si namque ut ajt Plato, optimi ſunt Urbium custodes Vivi Reliſiosi, & beatas dixit Ariſtoteles Reſpublicas, si aut regnarent Philoſophi, aut Reges ſapientiæ ſtudio tenerentur, quis obſecro tam perfrictæ frontis fuerit, qui hisce ſublatis de medio, aut neglectis, cuipiam Communitati fælicitatem polliceatur? nisi forsitan ita quispiam hæbes, ac rerum ignarus extiterit, ùt quid ex illis uberimis fælicitatis fontibus emolnmenti, quid commodi dimanet, quid veró ex neglectu tantorum præsidiorum mali atque damni impendeat, non perſpiciat. Quod ut palam fiat, ne gravemur tantisper indagare, quod calamitatibus obrutæ jaceant illæ Civitates, à quibus probitas & doctrina exulant, ut deinde, quanta hæ ubi vigent adferant bona clarius videre posſimus.

Atque præprimis, quid quæſo ab illis expectes barbaris, qui laxatîs licentiæ frænis nihil ſanctum, nihil inviolatum habent? qui per omnia ferarum ritu impune graſantur, omnia prædis ac direptionibus exponunt dira vaſtitate ac cædibus implent omnia. Suponamus ad hæc densisimîs eos ignorantiæ tenebrîs ſepultos, quid unquam boni agent? num aliquando ſe ſe recolligent, & ad meliorem frugem recipient? qua ratione feritatem ſuam deponere, in communem ſocietatem congregari, leges neceſsarias rogare poterunt? Deus bone! horret animus ad mentionem horum non tam hominum, quam brutorum! Sed noſtra reſpiciamus tempora, ubi non conſpicitur quidem, imò nec auditur tanta ruditas, attamen duo illa validiſsima Societatum fulcra paſsim vili penduntur, ac negliguntur. Incognita ſunt nonnullis Asiæ Africæ ac Americæ populis probitas, ac Doctrina, vivunt ùt belluæ, ergo & reguntur ùt belluæ. Non eos nomino ne ultra cancellos ſermoni meo circum ſcriptos egredi judicer Jd annotâſse ſat fuerit, infelices illos perpetuùm fore, quod in tanta hujus ætatis luce adhuc cæcuciant.

Venio ad indicandam utilitatem, quæ ex probis Civium

mori-

moribus, atq; ex lumine doctrinæ profluit abundantiſsimé, quò nempe promptiùs Patres Dignifsimi, quibus Provinciam Noſtram bonis cnmulâſtis, Vobiscum identidem recognoſcatis. Quid est Civis? nisi homo, quid homo? nisi animal rationis quidem particeps, ſed inordinatæ cupiditatis mancipium, liberum, ideo petulans, acre, ideo ferox, ignarum boni ac veri, ideo mali tenaciſsimum, varium ac mutabile, ideo inconſtans in opinando ac agendo, curioſum rerum omnium, ideo ſui incurium, occupatum voluptate, ideo obliviosum honeſti. Quis iam præter probitatem ac doctrinam, tali animali fænum injiciat, & in officio contineat rationis,? Atque ideo qui prima Societatibus dabant initia humanis, iidem Urbes ſuas non tam mænibus, quam bonis moribus munire, & animare, diuturnitatique illarum coſulere laborârunt. Tum ubi Cives multiplicari & in ampliorem multitudinem excreſcere cæperunt, Legislatores ſapientiſsimi è litterarum penetralibus ſanctiones ſaluberrimas eruebant ac præſcribebant. Jtaque Moiſes Chaldæis, Magi Persis, Gymnoſophiſtæ Jndis, Druidæ Gallis, - Zoroaſtres Braccianis, Solon Atheniensibus, Lycurgus Lacædemonijs, Minos & Cecrops Cretensibus, atq; alii aliis gentibus, præferente ſibi facem ſcientia literarum, certa jura dederunt, quæ procedente tempore, quantò magis augebantur & illuſtrabantur, tantò Cives expediciores ad bonum omne, remotiores à vitiis, & proinde beatiores faciebant, Roma illa ex parvis initiis ad Orbis pænè universi evolatura imperium, poſtquam ſuperbam ac crudelem Tarquiniorum dominationem ſustuliſset, ùt libertati ſuæ, tranquillitati Civium, boniſquè omnibùs ſacris & profanis meliùs proſpiceret, regulas probitatis à literis petitas ſtatuit, ſtatutas deinde ſanctiſsimè coluit. ac cuſtodivit. Jnde majora incrementa capere, in opes ingentes creſcere, famam ſuam huc illuc propagare, gloriam nominis ſui per univerſum Orbem celeberimam efficere, & in cunctas nationes imperium exercere. Quid ita? ubi virtuti ac literis primus datur locus, in Deos pietas, in Patriam amor, concordia pul-

herri-

cherrime florent, & publicam rem non modo ſuſtinent, verum etiam amplificiant, & ornant.

At dicet quispiam, quorſum ego hæc loquar? cur hæc memorem quæ nos minimè concerunt? imò verò maximè concerunt. *Longa enim* ait Seneca *via eſt per precepta brevis per exempla* Habetis ob oculos compendia non per multas Orationis ambages, quales Vos in curanda Provincia eſse decuit. & quales Vos exhibuiſtis. Extra omnem dubitationis aleam illud eſt, Rectores quarumcunque ſocietatum plurimum ad earum beatitatem, aut calamitatem conferre. Jîs bonîs atque doctis, ſubditi felices, improbîs atque agreſtibûs, ſubdîti miſeri. Dederunt hoc propitij Superi Noſtræ Provinciæ, ùt cùm alias ſemper, tum hac tempeſtate probos & Sapientes haberet Moderatores. Vobis itaq; qui Provinciam gubernâſtis acceptum illa nunc refert, quòd in ea Religinis honor, Ordinis Sacri amor, tranquillitatis communis ſtudium, perpetuum & durent, & duratura ſunt. A Rectoribus ſuis ſubditi omnes deſumunt normam, ad eorum exemplum ſe componunt singuli, in illorumque vitam & mores abeunt. Hinc si ad cultum Divorum convertamus oculos, en quæ de nobis prædicantur: apud nos. ſcilicet, Deum cum Sanctis ſuis pura Religione coli, omnibus terrenis Cæleſtia præponi, theſauros ac divitias, magna ad Sanctam illam Jeruſalem tendentibus obſtacula, parvi haberi, pauperiem in qua efficaciſsimè Regnum illud à mundi conſtitutione Nobis paratum quæritur, ſummo in pretio poni, hominibus in mundo degentibus Sanctimoniæ ac pietatis exempla præberi, cunctis demum vel de longé nos ſpectantibus admirationem injici. Et cui hæc tam præclara bona debemus? Rectorum Noſtræ Provinciæ probitati atque virtuti. Hac illi animati, aliis ſuo imperio parentibus inſpirârunt. Hac duce omnia agentes, ùt alii quoque agerent effecerunt. Hac Magiſtra, quid ſupremo mundi Domino debeant, cùm didiciſsent, alios etiam non tam verbîs quam ipsis factîs edocuerunt.

Reſpiciamus inde, quomodo quisque in communem Paren-

TEM

TEM PROWINCIAM affectus sit, quomodo ad ejus bonum incumbat, quomodo, prout cujusque fert facultas, ad gloriam Ordinis sui Religiosi laboret. Hic operâ, ille consilió, alius excollendis scientiîs quidam conciliandâ, exterorum gratiâ publicæ utilitati consulunt atque prospiciunt. Videre est in singulis Nostræ Provintiæ Dominibus, omnes eò vires suas conferre, omnes id unum agere, omnes dies noctesqué illud præprimis cogitare, ût universa Societas Nostra, undique pacata ac tuta, & ipsa toto suo corpore valeat, & minores sui partes, in integritate sartas tectasque conservet. Rei hujus fidem faciunt Vobis. qui quccunq; nomine, quamcunq; domum rexerant, facit fidem omnium vultus serenissimus, optimus sortis prosperæ, qua quis utitur, test s, facit demum fidem & ipsum silentium, quò apparet nullibi ullas exoriri querelas, & ab inferioribus magistratibus ad Superiores devolui. Quisnam horum omnium fructum sibi jure vendicare potest? Vos certè, quibus curandæ Provinciæ onus incubuerat. Liberos nos natura edidit, sicque animos nostros efformavit, ut nemini libenter, obedire vellent, nisi legitimè primum tum rectè & probè imperantibus. Jta fit ût cùm moderatores Nostri non libidinis suæ aut commodo, in summo constituti loco serviant; non scelerum portenta, sed virtutum exempla edunt, non inviti illis pareamus, atq; in commune, omnem operam nostram omnem curam ponamus. Adeò verum illud est, minores semper sequi vestigia Maiorum, præsertim eorum, qui sibi cùm potestate præsint.

Quod si hæc ita se habeant, quid de interna tranquilitate ac concordia putabimus? Profectò, quæ Religione, quæ pietate, quæ probitate & sapientia suorum Rectorum coalescunt societates, illæ mihi demum omne punctum tulisse videntur. Cùm ergo Custodes Nostræ Proviciæ] singulari Deum beneficentiâ, & vigilentissimos, & prudentissimos & strenuissimos nanciscamur, nihil nobis intus, nihil extra unquam erat timendum. Si quippe aliquos parum movet Religio. parum honestas, parum

ipsa

ipſa Rectorum Provinciæ exempla permovent ac urgent ad instar fortiſsimorum quorundam ſtimulorum, leges ſapientiſsimæ quas aut ipsi tuliſtis, aut veteres non nihil neglectas robarâſtis. Auctoritate namque ac nutu legum, docemur efficaciſsime ut dicebat Demoſthenes, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos manus abſtinere. Si enim abrogentur, & cuivis licentia faciendi, quid quid voluerit data sit, non ſolum Respublica pesſumibit, ſed nec quidquam intererit noſtram inter & ferarum vitam. Non absimile eſt, quod ajt Ariſtotes *Lex* inquit ille eſt ratio que communi conſenſu Civitatis definita, jubet, quopacto unum quodque agendum sit. Univerſa hominum vita, verba ſunt rurſum Domoſthenis, sive magnam urbem incolimus, sive parvam, naturâ & legibus gubernatur. Horum porro natura quidem incerta ac verſatilis eſt, & ſua cuiusque hominis. Leges autem comunes, & ordinatæ ſunt, idemque præſcribunt omnibus. Jtaque si natura prava eſt, ſepe mala capit consilia, atque inde talis in delicta ruere facile invenire licet; leges verò juſtum honeſtum & utile imperant. Si iam ex naturæ indole, nobiscum sine lege vivere non poſsumus, quomodo vivere cum Civium multitudine? Opinio noſtra non constat nobis, quomodo Civitatis conſtabit consilium? ex animorum atque opinionum diversitate & repugnantia inimicitiæ atque diſcordiæ exiſtunt, ex quibus iterum tumultus, & totius quandoque Societatis interitus, tanquam malæ gallinæ ùt ajunt malum ovum enaſcitur. Unde ergo unitatem, unde ſalutem, unde tranquilitatem accersimus, si non è legibus? Quàm profectò pacata eſt Civitas, quàm beato abundat atio, ubi nulla partium ſtudia, nullæ animòrum diſsensiones, nullæ fortunarum vigent lites! Quôd porro timendum eſt diſsidium, quæ opinionum diversitas, & pertinatia in illo hominum cætu, qui tanquam numerosiſsima ſed prudenter admodum ordinata Schola, ab unius ſapientiſsimæ Magiſtræ, legis ſcilicet nutu & ore dependet? ubi nemo ſe prudentiorem legibûs exiſtimat, omnes unius men-

tis

tis atque consilii afflati spiritu ad eundem finem, communem nimirum universorum felicitatem provirili enituntur.

Quidni igitur noster Religiosus Ordo summa tranquillitate ac pace perfruatur, si eum tam validîs munivistis præsidiis? quomodo autem munire potueratis, nisi Vobis sapientia atque omnigena adesset præsto doctrina? Hæc enimverò suppeditavit Vobis Patres Emerissimi quid aut præscriberetis, aut aliquomodo collapsum restitueretis. Neque etiam satis fuerat Vobis leges firmare, nisi maxima cum solicitudine efficeretis, ùt eædem integrè & fideliter à subditis observarentur. Hoc enim nisi fiat, omnis legum Sanctitas atque prudentia, tanquam gladius vagina, aut pharmaca suis in vasculis conclusa, aut aurum sub montibus latitans, nullam Societati utilitatem, nullam salutem, nullum præsidium est allatura. Ut enim arma optima, etiam plurima non defendunt Civitatem, nisi manibûs militum versentur côntinuò, nulla pharmaca medentur morbîs nisi aplicata aut hausta nulli aurei montes levant paupertatem Regnorum, nisi longò durôque labore evecti, in mercaturæ usum deducantur, ita optimæ quoque amplissimæque leges si solis ornandis Biblothecis, aut opicis pascendis muribus inserviant, vel in libris solum atque ore hominum, non verò etiam in moribus atque vita Civium versentur, & vigeant, oneri potius atque damno, quàm levamini atque subsidio Urbibus sunt futuræ. Legum ergo accuratam custodiam curæ Vobis esse debere, cum optimè intellexistis nihil fecistis reliqum, quin Provincia esset beata felix, & florens.

Age nunc, sint Moderatores cujuspiam cætus, moribus improbis ac dissolutæ vitæ, doctrinæ omnis ac eriditionis expertes, poteritne queso, aut Religionis honor propagari, aut boni publici amor vigere, aut concordia tranquillitasque subsistere? Non Religionis augmentum, sperandum erit, ubi imperium optinentes impij reperiuntur, quia nullum adminiculum supererit; Non boni publici amor vigebit, ubi Rectores primique illius Custodes, omnia ad suam libidinem trahunt, quia

pars inferior imitabitur ſuperiorem. Non demum tranquillitas ſubsiſtet, ubi Moderatores ipsi leges infringunt, & pacem turbant, qui a peſsimo exemplo ſuo cauſam ceteris omnia audendi præbebunt. Jn hoc miſerabili ac luctuoſo rerum ſtatu, unde nam ops & auxilium erit petendum? Congregabuntur, credo singuli in conſultationem. Aſt quid amplius? pugnabunt contra rationem præjudicia, contra publicam rem, privata, contra juſtitiam, partium ſtudia, contra merita, ambitio, conta gratiam, invidia; contra rectam ſententiam, ira & pertinatia. Quid tandem? Consilio peracto nihil ſequetur. Triſte rei hujus exemplum tot Nobis populi reliquêre, quorum vix iam nomen extat. Revocemus ad memoriam florentiſsimam illam quondam in Græcia Atheniensium Rempublicam, non difficulter fateamur erit neceſse, illam hoc & non alio malo concidiſse. Steterat firmiſsima, quouſque & proborum & ſapientum Virorum ac maximè Solonis Viri incomparabilis tenuit diſciplinam. Sed simul atque Rectores nacta eſt tum improbos, tum etiam barbaros & ignorantes, incolumitatem ſuam & ſalutem, non ſecus ac aliæ permultæ gentes deplorando amisit fato. Tantùm ſcillicet in Rectoribus, cujusque Reipublicæ, sive magnæ, sive parvæ situm est.

Quapropter immortàles Vobis gratiæ ab uniniverſo Ordine noſtro habendæ ſunt Patres probitate ac Sapientia conſpicui quòd eum beaveritis jam ſanctiſsima Religione augenda ac dilatanda, jam bono publico amplificando ac exornando, jam tranquillitate atque pace ſtabilienda, ac firmanda, quibus tribus veluti infractis cardinibus roborata noſtra Provincia, gloriam ſuam perpetuam fore confidit. Haud quaquam hoc loci silentium tenere valeo geſtit animus aliqua singillatim Veſtra merita proferre, Dabis quocirca veniam si a Te *Admodum Reverende Pater Commiſsarie Visitator Generalis* ad Noſtram Provinciam deputate incipiam. Non eſt tamen mihi mens ire per singula Tua decora ac ornamenta, cùm hæc tot tantaque sint, ut diſertiſsimis Oratoribus fontem innumerabilium laudum ſubminiſtrent,

niſtrent. quemve nunquam exthaurire queant. Non dicam de Tua admirabili humanitate, placabilitate, animi moderatione, quibûs præclaris virtutibûs, ita Tibi omnium benevolentiam concilias, ut Te diligant, ament, & manibus quodammodo geſtare videantur. Non commemorabo theſauros Tuæ ſcientiæ ac eruditionis multiplicis, quibûs quanto cæteros antecellis, tantó uberiorem exiſtimationis ac prædicationis apud omnes colligis meſsem. Non etiam in medium adducam favorem illum et gratiam, quibus apud omnes pulcherrime flores ob eximias Tuas dotes. singularem agendi rationem. Tua me perrara modeſtia id facere non patitur, quam adeò familiarem Tibi feciſti, ut nihil magis refugere, ac devitare ſolitus sis, quam laudum Tuarum prædicationem. Verumtamen quod ad rem præſentem pertinet, nullo modo tacitus præterire poſsum, illam nimirum ardentiſsimam voluntatem, qua plurimum & ad utilitatem & ad commodum Provinciæ Noſtræ contuliſti, Munus illud *Commiſsarii Viſitatoris Generalis* ſemper imis infixum pectoribus noſtris hærebit, nec ullo unquam temporis ſpatio aut oblivione deleri poterit. Statuemus nobis abſque intermiſsione ante oculos, conſilii Tui gravitatem, prudentiam admiratione digniſsimam, in quacunque re ſuſcipienda & agenda, fortitudinem animi in exequendis negotiis inviƈtiſsimam, patientiam in tollendis obſtaculis ac ſuperandis difficultatibus sinè exemplo, ad pacem felicitatem queProvinciæ noſtræ aſserendam atque firmandam. Jd in corde ac in ore nobis omni hora verſabitur, Te præcipue nobis Divinitus datum fuiſse, qui Ordini Noſtro eſses ornamento, publicum ejus bonum florentius redderes, diuturnitatique ejus conſuleres feliciſsime. Sed quid ago? Volumen mihi ingens condere neceſse eſset si præſtantiam Tuam non depingere vividé, ſed ut-cu que adum brare vellem. Gaude hoc tam excellenti bono, pulcherimîsque Tuæ & pietatìs, & Sapientiæ trophæîs, fauſtus perfruere, noſtri gratiſsimi animi ſenſum ſemper abundantiſsime experturus.

Nec Te tacebo *Admodum Reverende Pater Miniſter = Pro-*

 vincialis

vincialis qui ut digne procurationem, administrationemque Provinciæ ſuſceptisti, unanimis omnium Votis Tibi delatam, ita cum ſumma Nominis Tui commendatione, totius verò Ordinis utilitate ſuſtinuisti ac peregiſti. Deponis jam ſummum hunc Magiſtratum, poſtquam eò præſcriptò trium annorum intervallô gloriosiſsime es perſunctus; aſt ita deponis, utæternum Tibi obligatam Provinciam relinquas, memoriam Tui poſteris longa ætatum ſerie celebrandam tradas. & omnes maximo dolore affectos & demerſos pene videas, quod legibus noſtris illum Tibi diutius gerere non permittatur. Sed veneror ſanctiſsima nostra Jnſtituta, nec adverſus ea quidpiam audendum puto. Non potes quidem longius retinere Jmperium, verum lenies ut cunque dolorem noſtrum lacrymasque abſterges, si relicta alteri gubernatione. haud tamen nos deſeras, ſed ad noſtram ſalutem, incolumitatem, felicitatem, quà cogitatione, quà consiliò, quà auctoritate Tua incumbas, idque facias, ut quem ad Gubernacula ſedentem vidimus, eundem & privatum intueamur. Grates Tibi perſolvere, ut meruiſti, non opis est noſtræ, at Omnipotens ille qui virium Tuarum Auctor fuit, certe meritorum remuneator erit.

At Tu mihi jam occurris, mentique meæ proxime obverſaris *Admodum Reverendem Pater THOMA GLATZ Ex = Miniſter Provincialis.* Quis enim Te sine ſcelere præterire queat? Tanta animi ornamenta, tantæ Virtutes, tanta egregia facta raperent vel invitum, & in ſui admirationem traherent. Nactus præſtantiſsimam a natura indolem, sic eam excoluiſti, ùt intuentibus Te obſtupeſcendum eſset, quid nam in Te magis emineret, quid primam palmam meretur. Jnde etiam eſt, ut non ſolum in Noſtra Provincia ad maxima publica munera, admotus eſses, ſed etiam in aliis. Optigeras nobis duplici fato *Miniſter Provincialis* ad noſtramque beatitatem procurandam non Tibi Vrtus, non animus conſtans, non Religionis amor non communis utilitatis ſtudium, non beneficentia, non Authoritas defuêre. Jn aliis porro Provinciis cùm creatus fuiſset *Visitator Generalis.* quot DEUM

immor-

immortalem, bonorum, quot commodorum, duce Pietate ac ſapientia Auctor fuiſti. Adeò magnitudo Tua ſe ſe extendit, ut Provinciæ unius finibus capi non potuerit.

Animadverto hoc loci, velut exordine ſuccedere dignum ſempiterna memoria Virum *Admodum Reverendum Patrem MARIANUM WIETROWSKI. Ex Miniſtrum etiam Provincialem* qui dici ſatis nequit, quam propenſo in literas ſit animo, facile quivis inteligere vel maxime ex eo poteſt, quod illas fere ab ineunte ætate comites, & in omni fortunæ gradu dignitatis ſuæ habuerit adminiſtras. Earum præſidio inſtructus, tantam in cogitando ſubtilitatem, in rebus præclarè gerendis induſtriam in judicando maturitatem comparavit, ut difficillima quæque cum Provinciæ noſtræ, tum aliarum negotia ſuſcepta, feliciſsimè ſemper expediret. Et demum hoc non impune tacendum, quanta pietate, ad admirandum omnibus Conventibus exemplum, *Cœnobium Przyrovicnſe* gubernat! Peroportune hùc cadit illud Divi Gregorii: *Ars* inquit ille, *artium eſt regimen animarum*. Quis autem melius hanc artem callet Patre hoc Emeritiſsimo ſvadenda eſt charitas, tum Dei, tum proximi, ſvadenda in divinis rebus diligentia & cura, ſvadet efficaciſsimè. Commendanda Religioſa diſciplina, obſervantia Votorum & regularum, commendat fructuoſiſsime. Pietatis ejus in Deum quis dignus laudator reperiri poterit? Teſtatur hanc luculentiſsime vel ipſe *Conventus* quem pæne à fundamentis reſtauravit, nullis laboribus parcens unquam, ſed totum ſe huic negotio tradens.

Tui etim quis non meminerit *Admodum Reverende Pater ALEXANDER MAŁYNSKI itidem Ex Miniſter Provincialis* cujus curæ ac ſolicitudini multum debet noſtra Provincia? Omnia Tua ſtudia, omnes labores, omnes vigiliæ, eò intenderant, ut tranquilitas, pax, integritasque illius eſset perpetua. Ut proinde non immerito & noſtra Provincia & *Lithvana* etiam gratiſsima Tibi eſse, debere diceretur.

Tua non minus juſtè *Admodum Reverende Pater AUGSTYNE MOTULSKI* ingentia in Provinciam merita locum ſibi

dari

dari in Oratione mea poſtulant. Tu illius amantiſsimus & re & nomine Filius ad eam ornandum, amplificandam, in felicitate tranquilloque statu stabiliendam omnia animi dona locaſti. Tam diu hinc et am Tua apud illam grata vigebit memoria, quam diu ipſa ſtabit & manebit.

Tandem neque Vos alii Patres meritiſsimi prætermittendos exiſtimarem, ni id longiorem ſermonem faceret meum, atque plus justo prolixum, Vos inquam *Admodum Reverendi Patres Lectores Jubilati* Divinarum humanarumque ſcientiarum, Provinciæ *Definitores*, *Gvardiani* Conventuum, qui omnes, publico Ordinis noſtri bono providetis, non reticerem, ſed morem gero Veſtræ modeſtiæ quæ Vos hæc audire patienter non ſuſtineret, tum imbecillitatis meæ conſcius ſum, quæ tanto oneri non ſufficeret, ac denique ipſum tempus me admonere videtur, ut poſtquam oſtenderim quàm optimè publico Provinciæ bono proſpexiſtis, ad alteram Orationis partem feſtinem, indicareque ſatagam, Vos & communis Noſtræ Reipublicæ, quæ Noſtrûm omnium una cum cæteris omnis condicionis Civitatibus, parens est rationem habuiſse.

Neminem unquam aut ignorâſse olim, aut nunc ignorare arbitror, qui modò Politicorum Arcana vel à primo, ùt ajunt limine ſalutaverit, multiplices eſse modos ſerviendi ſuæ Patriæ, beneque de ea merendi. Cui enim bono, hæc omnium Civium in quaſdam valuti claſses ditributio, munerum ac officiorum partitio, inter Ordinem hunc ac illum diſcrimen? Fuit, fuit ea ſemper lege naturæ introducta, & deinceps jure humano confirmata haud ulla annorum ſerie interrupta conſvetudo: ut alii Religione propaganda, ac cuſtodienda, alii jurisdictione exercenda, alii militanndo, alii demum agro excolendo, ad communem incumberent utilitatem. Quod, quondam ut rei Ordo poſtulat fiebat, à nullo reprehendi, & multò minus impugnari, etiam illis ignorantiæ temporibus poterat. Unde fit, ut nunquam ſatis nunc mirari valeamus, quòd hoc ſæculò noſtrô, ubi quisque gloriam literarum ad ſummum perveniſse gradum

jacitat,

jactitat, permulti paſsim reperiuntur, qui cum ſe optime ſentire, profundius rem quamque ſcrutari, publico bonò diligenter conſulere velle glorientur; non ſolum nihil horum præſtant, verùm etiam plane quid contrarium & verbò docent, & factò probant. Errore credo, abrepti, non veritatis ducti studio novaque pro veteribus combibentes præiudicia, quid sit recti ac veri non vident, quid expediat, quid noceat, non disiudicant, inque ſua pertiacia immoti rerum ordinnm pervertere conantur.

Jnutiles eſse ſtatus Religioſos impudenter eſſutiunt. Quomodo inutiles? ſcillicet, loco ſanæ doctrinæ, inquiunt, aniles fabellas & commenta diſseminant Religiosi, onerant Cives, & maximé imperitam plebem exactionibûs ſuîs & præterea plerique contaminata vitâ ſuâ plures inficiunt, cùm tamen omnis honesti dare exemplum debeant. DEUM immortalem! quæ opinionum ſigmenta! quæ blasphemiarum monſtra! Nos fabellas diſseminamus? Nos populum oneramus tributis? Nos humano generi in ſcandalum positi ſumus? Considerate Patres Religiosiſsimi, quæ nobis crimina obiciuntur; quamve falſa sint, me demonstrantem breviter audire non dedignemini, ut palam inde Vobis fiat, non Vos boni publici profani eſse oblitos.

Sentio quam infirmæ mihi sint vires, ſed nemo tam fortis, sicut Deus noster, quo præſente tanquam lucidiſsimo fonte omnes errorum tenebræ diſsipantur. Hoc auxiliante indubiam ſpero victoriam. Magnam primis Urbium conditoribus quisque ſapientiam tribuit, qui legum vinculo Cives ſuos adstrinxerunt. Atqui Deo hæc auſpicante facta & propagata, ille tantum ambiget, qui nuſquam audierit palantium ferociter hominum animos, Religione potiſsimum emollitos, ac ſociatos fuiſse. Nam cum Dei notitia atque timor, omnem barbarorum etiam rationem componeret, tanquam fortiſsimo atque unico hoc vinculo ad politiorem vitam perducti ſunt. Omiſsa propter incredulum Hominum genus Sacrarum Literarum auctoritate,

tate, ſcimus omnium Regnorum primam ſemper de Religione legem fuiſse, non quod illam lex imponeret, ſed quod illa legum omnium molem ſtabiliret. Jnde Plato Rempublicam sine Numinis ope adminiſtrari non poſse profitetur aſserens: quod sicut pecudes non à pecudibus ſed à meliore ſe nempe paſtore homine reguntur, ita homines ab homine sine duce Deo gubernari nequeunt. Jnde etiam Legislatores Regnorum, ritus feſta, ſacrasquæ ceremonias pro fundamentis Urbium ponebant, eorum cura atque adminiſtratione non omni populo, ſed ſolis deſtinata Sacerdotibus. Nulla quippe Civitas sine templis, sine ſacrificiis fuit, quia nulla sine Divino cultu stare ſe poſse putavit. Jgnorabant quem Deum aut quomodo colerent, colebant tamen uſque ad ſuperſtitionem ſanctitatis, nec quidquam boni, præclari, proſperique in Republica Sine Divinis adminiculis fieri poſse arbitrabantur. Quid ergo iſti parum creduli inimici atque iniqui nobis ſunt, quos Fundatores illi ſanctiſsimi ad Religionem sine qua nulla extare potest Civitas, propagandam ac magis in dies dilatandam in unum vocarûnt? At qua ratione inquiunt propagamus aut dilatamus Religionem? Certè, non futilibus comoentis aut puerilibus ſomniis paſsim ſpargendis, ùt impiè calumniantur, ſed annuntiandis Dei præceptis cultu Ejus tam interno quam externo ampliando, animis hominum ad bonum inclinandîs & a malo avertendîs. Quid? urgent Adverſarii, non ne hæc quisquam alius præter Religioſos præſtare valeat. ? Haud equidem penitus id negaverim, ſed procerto illud ac infallibili habeo, Statum Spiritualem ad id præcipue ac proprie eſse vocatum. Civilia Rerum publicarum negotia ſuos habent Magiſtratus, ſuos Curatores, cur igitur & Divina non habeant? Atque id jure optimo. Nam cùm rectus Ordo poſtulet, ut alii conſulant; alii judicent, alii mercaturæ, alii opificiis, alii agris & peccoribus vacent, alii veſtigalia exerceant, alii demum armis Civitatem defendant, nemo mortalium ita amotæ eſt mentis, ut Divinarum rerum procurationem non certo cuidam addicat generi hominum, qui

terre-

terrenorum negotiorum sollicitudine relicta cæteris, Primo Civitatum Parenti atque Rectori DEO toti vacent, & in omnem populum Religionem, Regnorum vinculum ac firmamentum sollicitissimé diffundant. Ut proinde non immerito in hæc verba proruperit S. Ambrosius, Murus ajt est Religio, turres ejus sunt Sacerdotes, qui eam ab omni incursu deffendunt. Videant quod fulcrum Regnis subducere meditantur, qui tollendos sensim Religiosos Ordinis censent. Omnis quæcunque tandem illa sit Sacerdotum cohors, suas curas, studia, atque laborem eò convertit, ut aliqua ratione prosit Civibus. Quoniam verò animales homines non peripiunt ea quæ sunt spiritus, cogor plurima omittere, ut assiduas præces, quas propeccatis populorum incessanter ad DEUM fundunt, jejunia atque lacrimas, quibus iratum placant Numen, Sacrificia quibus & pro vivis & pro mortuis Cœli Conditorem exorant ceteraque sanctissima Exercitia & terris proficua, & Cœlis pergrata. Illud prætermittere nulla ratione valeo, quod tanta tamque efficaci doctrina imbuant populum. Anilesne fabellæ sunt, amorem DEI inspirare, spem mercedis æternæ pro bonis actibus excitare, horrorem infelicis sortis peccatorum post mortem incutere, pænarumq; atrocitatem pro malis operibus destinatarum præ occulis ponere ac veluti depingere? Dissipatur, ignorantia, lenitur barbaries, durissima corda emoliuntur, viututes in locum vitiorum succedunt, & adhuc quæritur, quæ sit utilitas Religiosorum Discurritur per Urbes, vicos & plateas prædicatur suscipiturque pænitentia. cessant furta, extinguntur latrocinia, seditionnes comprimuntur, odia atque inimicitiæ se dantur, restituuntur aliena, sua distribuntur pauperibus, & adhuc queritur quæ sit utilitas Religiosorum? Charitatis Christianæ lenitatis, mansvetudinis, bonorum operum, omnis demum virtutis ac sanctitatis dantur exempla, & adhuc quæritur quæ sit utilitas Religiosorum? Nos, nos inquam Reliosi, optimo Regimini atque gubernationi subjecti & ad omnis honesti, & probi rationem sapientissimis legibus nostri Ordinis ducti, non

parum ad Communis Reipublicæ felicitatem concurrimus, atque coferimus, non noſtris modo Orationibus, & præcationibus continuo ad DEUM fundendis, mala quæque ingruentia avertentes, ſed etiam doctrina ſana, caſta & plane Chriſtiana populum inſtruentes, quò nempe unusquisque cognitis ſuis officiis, ſuæque vitæ oneribus, facilus ea exequatur, & ad publici boni ſcopum dirigat.

Cernitis Patres judició præſtantiſsimi, quam falſò nos iſta Epicureorum natio hoc ex fonte arguat, atque cotdemnet, quasi locò bonæ doctrinæ à Chriſto Servatore noſtro nobis traditæ commenta neſcio quæ, in populum paſsim ſpargamus, eumque ſuperſtitionibus imbuamus. Nec nos commoveat quidpiam, quod non ceſsent interim *fortes* illi *Spiritus*, ut ſe ſe apellant, obmurmurare, quod à Viris Religiosis tot libri ſomniis meris, futilibus figmentis, mendaciis apertis, prodigiis ac miraculis falsis pleniſsimi in lucem sint editi, & non parum ad decipiendam imperitam plebem valeant. Sit ita ſanè, verum non inde rectè intulerint, inutiles eſse omnes Relioſas Societates, quod aliqui privati, aut nimio zelo, aut etiam errore abrepti minus consideratè, minus prudenter, aut aliquo quoque cum damno aliorum quidpiam fecerint, & ſcripſerint? Certè non Philoſophus sic argumentatus fuerit. Perpendamus jam utrum altero ex fonte validius nos aggrediantur. Tributis ajunt oneramus populum. At quibus tributis? Forte quòd medicare non erubeſcamus, quodve non modo oblatam accipiamus elemosynam ſed ultro etiam petamus. Hoccine ergo crimen eſt, quo nos conficere allaborant.? Verum quæro ego ex illis, quibus usibus hæc noſtra impeditur eleemosyna? Comeſsationibusne ac perpotationibus? Sed nihil magis a noſtro vitæ inſtituto abhorret, nihilque ſtrictius Sanctionibus Ordi is noſtri prochibetur. Corrumpendisne aliis, & ad omne licentiæ genus pertrachendis? Sed nihil nobis cum Sæcularibus hac in re commercii vel negotii eſt. Superest igitur ut ædif candis, reſtaurandis, & exornandis templis, tum deinde ſuſtentandæ vitæ

tæ noſtræ proventus, qui nobis oveniunt, impendantur. Quod si ita eſt, triumphum agimus, nec eorum cavillationes quidquam moramur. An enim quisquam ſanus, qui modo credat à Deo tanquam perenni ſonte, omnia perpetuò quodam curſu in ſe profluere bona, pati poteſt, domum ſuam omni prætioſa ſupellectili ornatam ſplendere, Domum autem Dei humilem ſordidamque ſquallere atque ruinam minitari? Quis non libenter ſuas cum Deo partiatur fortunas? nullas habiturus niſi illius beneficio? Quis Ageſilao in vitio poſuit, quod ſupra centum talenta Auri quaſi decimam quandam Delphico quotannis conſecraſset Apollini? aut Octavium Auguſtum quis reprehendit, quòd ædes ſacras vetuſtate collapſas aut incendio abſumptas reficere, eaſque opulentiſsimis adornare donis pro ſolenni habuiſset conſvetudine? Non auro quidem aut Serica veſte, Divina illa cotinetur Maieſtas, ſatisque Deum coluit, quisquis imitatus eſt, verùm quo minus ille opibus noſtris indiget, si eò promptiore animo noſtras cultui illius devovemus facultates, non poteſt non benigné pietatem offerentis complecti, eamque non ampliſsimis remunerari beneficiis ſuis. Pudeat in clariſsima Religionis luce tam fæda & indigna ſentiræ, cum Poéta ipſe hoc uno fonte derivatam omnem Romanorum cladem audacter pronuciet, quod negligentia contemptuſque templorum animos multorum invasiſset.

Hinc enimvero illud neceſsitate quadam inevitabili conſequitur, ut quemadmodum diſpenſatores dumtaxat eorum, quæ Deo offeruntur conſtituti ſumus, ita nobis aliqua pars ad ſuſtinendam vitam obveniat. Scio ego, quid hoc loci dicturi ſunt Adverſarii, illud videlicet, quod magnum Reipublicæ fiat damnum, per largitiones atque oblationes, ut plurimum sicut criminantur, extortas. Quod etenim incommodum cederet publicum, inutilis, ajunt: hominum turba conſumit. Enimvero ubi vivimus? ubi, quæ nobis Divina obtigerint providentia expendimus atque conſumimus? Jn noſtro utique Regno non alibi. Proinde, cujusmodi illorum argumenta sint, ipsi viderint.

Ego profectò, quid velint non intelligo. Haud mihi tantum afsumo aut arrogo, ut me in rebus politicis verfatum, beneque peritum exiftimem, id tamen recte nunquam putaverim perdi, ac iuutiliter dilabi quod intra fines fuæ Patriæ interque Cives fuos expenditur. A quo enim victum, à quo veftitum, à quo alia necefsaria comparamus? ab ipsis nempe Civibus noftris, ab illis mercatoribus, quibus cum in una eademque cenfemur Republica. Atqui ita nihil inutiliter, nihil cum boni publici detrimento. nihil cum alicujus Civis injuria per manus Reliofsorum transit, cum è contrariô omnes Reipublicæ partes aut ditentur, aut faltem quæ obtulerant, non abfque quodam fænore vident ad fe rurfum venire. En Patres Amplifsimi quomodo noftri capitales illi adverfarij ipsi fe fe non intelligant, & dum nos fuis tellîs cominus eminufque petunt, non nos fed fe ipfos vulnerant ac conficiunt.

Haud putate nihilominus illos arma deponere, non funt ita pacifici, ut femel atque iterum repulsi conquiefcant, pacemque aut offerant, aut oblatam accipiant. Pugnant fcilicet refumptis veluti viribibus contra proiectos Religiofsorum mores, collectisque ex omni ætate atq; natione exemplis, probant illos aliqua Rebus publicis attulifse mala & tandem è medio tollendos concludunt. Quid ad hoc illis tam peracutis hominibus respondeam? Jnopem me facit copia. Negemne objecta crimina, tanquam aut male ad nos relata, aut complura etiam ad libidinem conficta? Pofsem, fed non faciam; novi enim nos quoque, licet profefsione debeamus efse Angeli, attamen moribus efse homines. Retorqueamne intempeftivum monendi ardorem, ac dicam, quod hipocritarum more magna trabe vulneratos habentes occulos, eamque negligentes, feftucam tenuem in aliorum oculis confpiciant? Pofsem id quoque, fed non faciam credo potius, nullum omnino tam fanctum efse ac Religiofum mortalium genus, quod non sit capax gravifsimorum criminum. Confiteor imo verò, tametsi non sine lachrimis cofiteor, inter lectifsimum Ecclesiæ triticum fuccrevifse zyzania, in ovium

numero

numero reperiri lupos Judam, Apostolis societatum fuisse, nimirum aliquando nonnullos indignos hoc nomine Religiosos ac Sacerdotes qui sub specie propagandæ Religionis vel alio quopiam obtentu maximos tumultus excitarûnt, aut etiam gravissimis diuturnorum bellorum incomodis subministrarunt fomitem. Videant, quam sim ingenuus, & quantum illis concedam, sed me insanæ mentis condemnarem, si hinc inferrem, tollendos è Rebuspublicis Ordines Religiosos, aut inutiles plane judicandos. Qui profecto sic ratiocinaretur, omnia Regnis utilissima, sed abusu aliquo vitiata tollat est necesse. Multos veneô sustulerunt Medici, corrupti sepe judices innocentem oppreserunt, multi machiavelem secuti, crûdeliter imperarûnt, Naves cum mercibus atque hominibus frequenter perdit navigat o, tecta super habitantes corrunt, integras Urbes non raro consumit ignis. Ergo ad salvandam Rempublicam pellantur Medici, suspendantur judices, abrogentur Regum imperia, navigatio supprimatur, maneamus sub dio, ignem ad inferos relegemus. Præclara sane illatio. Quod si rarô aliquô evemplô & merô abusu, optimarum utilissimarumque rerum naturam nec vitiari, nec tolli posse, prudentius vereque sentiamus, quis non optimo maximoque jure hæc de Statibus Spiritualibus sentiat? quis male feriatam non condemnet Logicen? Nemo ideo totam excindat Arborem, quod ramum portet inutilem, nemo cum zizaniis evellit triticum. Rectius argumentatur D. Chrisostomus, Melius est inquit propter bonos etiam malos fovere, quam propter malos etiam bonos contemnere. Melius est malis injusta præstare, quam bonis justa subtrachere. Animadvertant, utinam Divinam institutionem legant in Scriptura, in Conciliorum ac Pontificium decretis, dignitatem officia, strictas obligationes, at simul severissimas vitiosorum Religiosorum pœnas & vel hinc magnam eorum inteligerent tandem aliquando sanctitatem. Quare desinant jam insontes Religiosos in crimen nescio quod vocare, meminerintque minime mirandum esse, si illis in tam sancto vi-

tæ

tæ instituto positis labi interdum contingat. Nemo quippe cum mutatione conditionis fragilitatem humanæ exuit naturæ.

Ne porro omnium Religiosorum Ordinum causam agere videar, postquam demonstraverim proviribus non esse inutiles nos, quo ad doctrinam Christianam, non esse onerosos quo ad exigendas elemosynas, non esse demum pernitiosos quo ad vitæ Nostræ exemplum, breviter concludam Orationem meam converso ad Vos sermone Patres Emeritissimi qui tum opera tum cons lio tum sapientia Vestra effecistis, ut cum Provinciam Nostram firmissime munieritis, gloriam ejus ampliaveritis, bonum stabilieritis, non solum nec debeamns, nec possimus inutiles censeri verum etiam summopere tam ad Religionis cultum dilatandum, atque augendum, quam ad conservandum communis Reipublicæ Ordinem atque utilitatem necessarij simus jure meritissimo existimandi. Et quidem jam inde ab initio Institutionis nostri Ordinis habat è Nobis Respublica commodum, at hodie tanto magis fortasse. Resumpserunt suam faciem Literæ, absqué illa obscuritate, & tenebris vindicatæ, luci ac splendori suo restitui cæperunt. Fælix Sæculum, quod regnante serenissimo *Stanislao Augusto* optimo æque ac Sapientissimo *Rege* Nostro & probitatem, & literas collit, ac utrumque illud ad Religionis gloriam propagandam, Patriæque beatitatem tutandam & firmandam confert & adhibet. Non satis fuit eos tantum ad litterarum culturam allici atque pertrachi, qui illarum trandendarum onus suscepissent, in aliosque copiose diffundere earum lumen, aliquo modo obligati fuissent. Allecti sumus & nos atque pertracti optimô datô nobis exemplo. Colimus itaque eas nunc, amamus, ac in sinu ferimus, auspicibus Vobis ac Ducibus Patres Emeritissimi, qui omnis doctrinæ supellectilli abundanter instructi, si quid nondum in re literaria bene ordinatum, fuerat, ordinastis, si quid pessimo abusu rationi rectæ dissionum planeque inutile introductum fuearat, correxistis ac immutastis, ut proinde expulsis illis studiorum quibusdam veluti chimeris, ad

Commu-

Communis in Republica Literarum restaurationis normam Vos optime conformaveritis, eoque ipso & Nostri Ordinis bonum, in perpetuum stabilire, & ad Reipublicæ Nostræ utilitatem respicere visi fueritis. Jta non est nobis ulla ex parte pertimescendum, simul ac ea, quæ minus rectè procedebant, rectius cæperunt procedere, quæ bene aut utcunque abibant, in melius abiêre. Pro quibus omnibus cum multis Vestrum tum præcipue Admodum Reverendo Patri *Ministro Provincialis* gratiæ sunt referendæ, ac pro eo præprimis quod Literarum rationem maximam habuerit, easque jam præmiis jam honoribus, jam aliis beneficiis distribuendis, ac munificentissime elargiendis florere pristinumque candorem recuperare fecerit. Cognita mihi Tua *Admndum Revende Pater Minister Provincialis* modestia, plura me dicere prohibet, at res ipsa loquetur, nosque in perpetuum sic erga Te affectos reddet, ut reddit Gallos erga suum Ludovicum, Jtalos erga suum Leonem, nostros Polonos erga suum Regem Sapientissimum *Stanislaum Augustum*, Celleberrimos ac omni posteritate prædicandos Literarum Restauratores. Abibis Magistratu Tuo summa cum gloria gesto, at è memoria nostra & longæ posteritatis nunquam abibis.

Sed enim tempus ad Orationis meæ portum respicere & Vela contrahere. Permittite dumtaxat Patres Religiosissimi, atque Emeritissimi ut Vos quodammodo ad horter qualem tanto Moderatori nostræ provinciæ Successorem eligere ac constituere debeatis. Talem nimirum, animis Vestris proponite, ad talem sufragia votaque Vestra dirigite, talem destinate atque eligite, & nobis præficitæ, qui primum probus sit atque doctus, tum ea omnia sua scientia teneat, quæ ad conservandam Provinciam nostram necessaria sunt, ac tandem perspectos omnes habeat modos, & procurandæ beatitatis suo Ordini, & conferendi ad Communis Patriæ Nostræ utilitatem. Quod dubio procul consequemur, si Spiritus Sanctissimi ductu, qui omnibus congregationibus præesse, easque regere, ac in omnibus factis dirigere debet, Divinis inspirationibus obsecundemus, partium vero

ro ſtudia, omnemque reſpectum humanum deponamus. Strictiſsima hæc Vobis Patres Dignisſimi, qui ad hoc tam magnum perficiendum opus congregati estis incumbit obligatio, ne ſpem & expectationem Provinciæ fallatis. Jta quocirca ad illud accedite, ut felicitatis noſtræ non deponatis memoriam; ita exequimini ut non Vos pœniteat. Potestis id utique, quandoquidem particularium Domorum Voto hanc potestatem obtinuistis; quod autem etiam debeatis, boni & Noſtræ Provinciæ, & Reipublicæ vos admonet ac urget ratio. Verum cùm & posſitis & debeatis, dignam uti principio Sermonis innueram electionem facere, quin & velitis quoque, minime dubitandum existimo.

Agite ergo quod felix fauſtumq; sit, & gubernandæ Provinciæ hunc Virum talemque præponite, qui nos consiliô juvet, ope ſublevet, Sapientia dirigat, exemplo confirmet authoritate tueatur.

DIXI.

Lectum & approbatum Die 13. Maij. Anno Domini 1781.
M. JOSEPHUS PUTANOWICZ
Sacræ Theologiæ Doctor Librorum Cenſor.
mpp.